

TEXTUS

N. 1

Iulius Piazza
Iosepho I, imperatori

Coloniae Agrippinae, 8 VII 1706.

*De nominatione sua ad munus nuntii apostolici in Polonia obeundum certio-
riorem eum reddit.*

Or.: Wien, HHStA, Rom.Varia 18 s.f. In involucri sigillum et inscriptio: "Alla
Sagra Reale Cesarea Maestà Dell'Imperatore, Vienna".

Sagra Real Cesarea Maestà²¹.

Giacché con infinita clemenza la Maestà V.ra s'è degnata altra volta generosamente ricevere a grado i doveri del mio profondo rispetto verso l'Augustissima Persona e Casa della Maestà V.ra, perciò ardisco umiliarglielo nuovamente nel parteciparle la destinatione che di me ha fatto N.ro Signore alla Nunziatura Apostolica di Polonia. In essa sicome nodrirò [sic] sempre una decorosa ambizione di segnalare il mio zelo in ciò che potrà riguardare gl'interessi della Maestà V.ra, così non dispero anche [v] ottenere dalla magnanima sua beneficenza i riscontri benignissimi nella frequenza de clementissimi suoi ordini. Questi m'imploro ivi per un perfetto adempimento delle mie brame senza interruzione alcuna. Della Maestà V.ra è tutta venerazione, le faccio profondissimo inchino. Colonia, 8 Luglio 1706 .

Della Maestà V.ra

(^a-Umil.mo, dev.mo
et oblig.mo servitore
Giulio, Arcivescovo di Rodi^a)

^{a-a}) *Autographum.*

²¹ Iosephus I Habsburg (1678-1711), imperator ab a. 1705.

N. 2.

**Facultates generales
a Clemente XI Iulio Piazza concessae**

Romae, 15 VII 1706.

Pontificem maximum concedere ei in regno Poloniae facultates: visitandi et reformandi personas et loca ecclesiastica; personas, tam saeculares quam regulares, etiam exemptas, male viventes, ad honestum vitae modum revocandi; omnes criminales, civiles, matrimoniales et beneficiales, merasque et mixtas causas iudicandi; contra inoboedientes poenas apponendi et auxilium brachii saecularis invocandi; a quibusvis censuris et poenis absolvendi eos, qui ad sacros ordines ante legitimam aetatem vel sine dimissoriis sui ordinarii aut extra tempora promoveri se fecerint; dispensandi super irregularitatibus ad omnes ordines et super impedimentis ad matrimonium; conferendi ad beneficia ecclesiastica saecularia et quorumvis ordinum regularia Apostolicae Sedi reservata: dispensandi cum personis loca pia ultramarina visitare volentibus, indulgentias impertiendi.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 1r-8v. Sub textu eadem manu adscriptum: "Pro R. P. D. Iulio Archiepiscopo Rhodiensi Nuncio Poloniae. Nunciatura Poloniae, cum solitis facultatibus iuxta expeditionem pro eius Praedecessore".

Venerabili Fratri Iulio Archiepiscopo Rhodiensi, ad Charissimum in Christo filium nostrum Augustum²², Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio

Clemens Papa XI

Venerabilis frater, salutem. Romanus Pontifex cum suos et Apostolicae Sedis nuncios ad regna remota destinat, eosdem apostolicis privilegiis, quantum temporis et locorum ratio requirit, cumulate prosequi consuevit, ut ipsi privilegiis huiusmodi suffulti, eiusdem Sedis benignitatem erga illius fideles et devotos, cum occasio tulerit, valeant salubriter impertiri. Cum itaque Nos te, ob singularem erga Nos et Apostolicam Sedem fidem et devotionem, doctrinam, prudentiam et in rebus agendis industriam et solertiam, aliasque praeclaras animi Tui dotes, nostrum et eiusdem Sedis nuntium ad charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illus-

²² Augustus II (1670-1733), elector Saxoniae (tanquam Fridericus Augustus) ab a. 1694, rex Poloniae ab a. 1697.

trem, cum potestate legati de latere destinaverimus, ut mandatis consiliisque nostris instructus, Sanctae Romanae Ecclesiae et nostra orthodoxaeque fidei negotia ad totius Reipublicae christianae salutem pro viribus exequaris, Nos, eius Regni locorum a nobis longinquorum ac personarum eorundem saluti et statui per operam et ministerium tuum in Domino consulere volentes, hoc tuum munus specialibus facultatibus prosequendum censuimus, quibus suffultus, iuxta datam Tibi a Domino sapientiam ibi utaris moderate et prudenter, prout ad Dei gloriam, populorum solamen et aedificationem ac ipsius Sedis decorem videris expedire.

Itaque ut locis et personis praedicti Regni, nec non Lithuaniae, Prussiae, Masloea^a), caeterorumque omnium [1v] ducatum, comitatum, provinciarum, civitatum, terrarum et dominiorum, dicto Augusto Regi quomodolibet subiectorum, opportune consulere, Teque erga illos utilem et benignum exhibere possis, Tibi, legatione tua huiusmodi durante et intra illius fines atque erga illius personas et loca ibi existentia, dumtaxat per Te ipsum vel alium, seu alios viros probos et idoneos primatiales, metropolitanas et alias cathedrales ac collegiatas et parochiales ecclesias, nec non monasteria, tam virorum quam mulierum, prioratus, praepositatus, praepositorum et loca saecularia et quorumvis ordinum, etiam mendicantium, regularia nec non hospitalia, etiam exempta, dictaeque Sedi immediate subiecta, et quocumque alio privilegio suffulta, eorumque capitula, conventus, universitates collegia et personas, tam saeculares quam regulares, etiam, ut praedicitur, exemptas et subiectas, quoties Tibi videbitur, iuxta sacros canones et decreta Concilii Tridentini apostolica auctoritate visitandi et in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen et consuetudines, vitam, mores, ritus et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquirendi, necnon evangelicae et apostolicae doctrinae ac sacrorum canonum et conciliorum generalium decretis ac sanctorum Patrum traditionibus atque institutis inhaerendo, et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quacumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, renovatione et etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi et de novo condendi: condita sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia appro[2r]bandi, publicandi et executioni demandari faciendi; abusus quoscumque tollendi, regulas, constitutiones, observationes et ecclesiasticam disciplinam, ubicumque illae exciderint, modis congruis restituendi et reintegrandi, praedicti Concilii Tridentini decreta, ubi nondum introducta sunt, proponendi et introducendi, ac custodiri praecipienda ipsasque personas, tam saeculares quam regulares, etiam exemptas et privilegiatas, male viventes seu relaxatas atque ab illarum institutis deviantes, seu alias quomodolibet delinquentes diligenter inquirendi, corrigendi, emendandi, coercendi et puniendi et ad debitum et honestum vitae modum revocandi, prout iustitia suaserit et ordo dictaverit rationis, ac quidquid inde statueris

et ordinaveris perpetuo observari faciendi, contra inobedientes, falsarios, usurarios, raptores, incendiarios et alios criminosos et delinquentes quoscumque etiam exemptos, eorumque fautores et receptatores, cuiuscumque dignitatis, ordinis vel conditionis fuerint, per viam accusationis vel denuntiationis, aut ex officio etiam summarie simpliciter et deplano et sine strepitu et figura iudicii similiter inquirendi et procedendi reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, et alias Tibi videbitur expedire, puniendi.

Insuper praedictorum criminum et alias quascumque criminales, civiles, matrimoniales et beneficiales merasque et mixtas, ecclesiasticas et profanas, seu alias ad forum ecclesiasticum quomodolibet attinentes causas, praeterquam in prima instantia, nisi per appellationem ab irreparabili gravamine, vel sententia vim diffinitivae habente, tam per viam recursus, vel simplicis quaerelae, quam etiam quarumcumque appella[2v]tionum a quibuscumque iudicibus ordinariis etiam a Sede praedicta delegatis interpositarum et dicta legatione durante interponendarum vigore ac alias quomodolibet pro tempore devolutas, motas et movendas cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus annexis et connexis, etiam summarie simpliciter et deplano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta terminisque etiam substantialibus, etiam unico contextu servatis vel illarum loco praefixo termino, arbitrio Tuo procedendo audiendi, et fine debito, prout iuris fuerit, terminandi et ad hunc caeterorumque contingentium effectum quoscumque etiam per edictum publicum, constituto prius etiam summarie et extra iudicialiter de non tuto accessu citandi et monendi eisque ac etiam quibuscumque iudicibus caeterisque personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis tuo vel delegatorum tuorum arbitrio moderandis at applicandis inhibendi, contra inobedientes et rebelles quoslibet censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi et relaxandi et auxilium brachii saecularis invocandi, seu causas ipsas alii vel aliis idoneis personis in dignitate ecclesiastica constitutis modo et forma praemissis, ac cum simili vel limitata potestate (praeterquam in eadem prima instantia ut supra) pariter audiendas et terminandas delegandi, quascumque personas adversus sententias, res iudicatas et contractus quoscumque, prout iuris fuerit, in integrum restituendi.

Quoscumque a quibusvis censuris [3r] et poenis simpliciter vel ad cauthelem, si et postquam congrue, prout debent, tam partibus quam iudicibus satisfecerint, prout iuris fuerit, absolvendi.

Praeterea quoscumque ad Te recurrentes, qui homicidium, etiam voluntarium, sacrilegium, simoniam et periurii reatum quomodocumque commiserint, quique bellis interfuerint, qui manus violatas in clericos et presbyteros, non tamen episcopos, aut superiores praelatos, nec in favorem haeresis vel haeticorum iniecerint, necnon qui ratione beneficiorum per eos obtentorum horas canonicas non recitaverint, vel qui infra tempus a iure statutum

vel in fundatione aut alias requisitum se ad sacros ordines promoveri non fecerint et qui ante legitimam aetatem ad sacros ordines sine dispensatione apostolica vel sine dimissoriis sui ordinarii, aut extra tempora a iure statuta, aut per saltum vel alias ex quavis causa male promoveri se fecerint, quique beneficia ecclesiastica incompatibilia etiam contra constitutionem felicitatis recordationis Ioannis Papae XXII, Praedecessoris nostri, quae incipit *Exsecrabilis*²³, aut alias indebite detinuerint, etiam si ipsi et alii quicumque ex aliis quibusvis causis fructus ecclesiasticos indebite quomodocumque perceperint, et praeterea eos, qui adulterium, incesturam, fornicationem, aut aliud quodcumque peccatum carnis perpetraverint, necnon literarum et supplicationum apostolicarum falsarios, usurarios, raptores, incendiarios et aliorum quorumcumque criminum ad forum ecclesiasticum pertinentium, reos, tam clericos, quam [3v] laicos, si hoc a Te humiliter petierint, homicidas voluntarios videlicet ac in susceptis ordinibus simoniacos, clericos eis ab altaris ministerio perpetuo ante aetatem legitimam promotos, eis tamdiu ab executione suorum ordinum, ad quos ante aetatem promoti fuerint, donec ad eandem aetatem legitimam pervenerint et amplius arbitrio Tuo suspensis, alios vero simoniae labe occasione beneficiorum infectos, beneficiis ipsis prius realiter et cum effectu dimissis, et qui beneficia contra dictam constitutionem *Exsecrabilis* aut alias indebite retinuerint, illis pariter dimissis, necnon qui fructus ecclesiasticos indebite perceperint, illis pro facultate impetrantium arbitrio Tuo ecclesiis et locis, unde profecti sunt restitutis, vel in pauperes erogatis, vel etiam ipsis impetrantibus, in toto vel in parte, remissis.

Usurarios vero, facta prius usurarum restitutione, falsarios autem, incendiarios et raptores, facta condigna satisfactione, aliisque iniunctis paenitentibus salutaribus et aliis iniungendis in utroque foro absolventi, necnon cum omnibus et singulis praefatis super irregularitate per eos praemissorum occasione, vel alias quomodolibet (praeterquam ex causa homicidii voluntarii, simoniae realis, bigamiae et defectus natalium, contracta sive quod huiusmodi sententiis, censuris et poenis ligati divinis, non tamen in contemptum clavium) se immiscuerint, [4r] ita ut illa non obstante, nisi aliud canonum obstat impedimentum, promoveri possint ad reliquos sacros ordines servata forma Concilii Tridentini et in illis promoti in altaris ministerio ministrare et quaecumque alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura recipere et retinere, dummodo plura non sint, quamque iuxta eiusdem Concilii Tridentini decreta permittuntur, libere et licite possint, dispensandi omnemque inhabilitatem et infamiae maculam, sive notam contra eos insurgentem abolendi, ac eos in pristinum et eum in quo antea erant statum restituendi, necnon apostatas ab ordine, sive religione, postquam ad ovile redierint, vel, si necessitas aut utilitas

²³ Cfr. Ioannis PP XXII *Extravagantes*: "*Exsecrabilis*", Tit. III: *De praebendis et dignitatibus*, (Avignonii, XIII Kal. Decembris, Anno secundo [1318]).

postulaverit, ad alios ordines pares vel strictiores transierint, ac prorsus quoscumque alios in omnibus et quibuscumque aliis casibus, tam ordinariis locorum, quam etiam Sedi praedictae reservatis, non tamen contentis in litteris die Coenae Domini²⁴ legi solitis, necnon ex communibus aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus, quas propterea quomodolibet incurrerint, salutaribus poenitentiis iniunctis et aliis iniungendis, etiam in utroque foro per Te vel alium absolvendi, ac quibusvis in aetate legitima constitutis et alias idoneis clericis et sacerdotali militiae adscribi volentes, qui competenter beneficiati et adeo arctati fuerint ratione beneficiorum per eos obtentorum, ut si tem[4v]pora a iure statuta expectarentur, beneficia ipsa propter eorum non promotionem vacarent, ut ad titulum beneficiorum huiusmodi ad omnes sacros etiam praesbyteratus ordines, a suo in unitate fidei et dictae Sedis obedientia perseverante, alioquin cum illius dimissoriis litteris a quocumque alio, quem maluerint, catholico antistite, gratiam et communionem Sedis praedictae habente, extra Romanam Curiam et in propria dioecesi residente, vel in aliena de dioecesani loci consensu pontificalia exercendi, quibusvis tribus dominicis seu aliis festivis de praecepto Ecclesiae servari solitis diebus, non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, arbitrio eiusdem antistitis definiendo interpolatis, etiam extra tempora a iure statuta, ac etiam quibusvis aliis iuxta canonicas sanctiones qualificatis necnon civitatis et dioecesis, in quibus similes antistites non fuerint, ut par cum iisdem dimissoriis litteris a quocumque alio, quem maluerint, catholico antistite clericali caractere insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et in illis sic promoti etiam in altaris ministerio ministrare possint, licentiam tribuendi.

Insuper cum corpore vitiatis, dummodo non sit tanta deformitas, qua scandalum generet in populo, aut divinis praestet impedi[5r]mentum, ut par ad omnes, etiam ad sacros et presbyteratus, ordines promoveri; ac cum graduatis, quorum centum, cum aliis vero, quorum quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum computum [...]b) valorem annui fructus redditus et proventus non excedunt, ut quaecumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura etiam, si canonicatus et praebendae ac dignitates ipsae, post pontificalem maiores, vel parochiales ecclesiae seu earum perpetuae vicariae fuerint, si sibi alias canonice conferantur, seu ipsi praesententur vel assumantur ad ea et instituantur in eis, recipere et, dummodo plura simul non sint, retinere.

Et simili modo super impedimento publicae honestatis iustitiae, ubi solum sponsalia intervenerint, ac cum eis, qui per fornicationem sive adulterium se polluerint, dummodo in mortem defuncti coniugis quidquam machinati non fuerint, ut matrimonium inter se contrahere et in facie Ecclesiae

²⁴ Bulla "In Coena Domini", seriem excommunicationum continens, in forma definitiva a Paulo V 8 IV 1610 promulgata est, Cfr. *Bullarium Romanum*, XI, p. 610-624.

solemnizare, ac pariter in eo remanere libere et licite valeant, dispensandi, prolemque exinde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi atque nunciandi.

Ad haec quaecumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis ordinum regularia, in Regno, ducatibus, comitatibus, provinciis, civitatibus, terris et locis in dominiis praedictis consistentia, etiamsi [5v] saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia, parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae, regularia vero beneficia huiusmodi, prioratus, praepositurae, dignitates, praepositus, personatus, administrationes vel officia fuerint, et ad prioratus, praeposituras, dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint, qui per electionem assumi eisque cura imminet animarum, dummodo saecularia, canonicatus et praebendae seu dignitates in metropolitanis vel aliis cathedralibus et collegiatis ecclesiis principales, regularia vero beneficia huiusmodi, conventuales, dignitates aut monasteria non sint, ac nulla beneficia praedicta dispositioni apostolicae, alias quam ratione vacationis illorum in mensibus, in quibus vacantium beneficiorum dispositio Nobis et Apostolicae Sedi reservata existit, vel pro tempore erit reservata, vel affecta existant, per obitum illorum possessorum, aut alias quovis modo, ac ex quorumcumque personis extra Romanam Curiam et infra limites Tuae legationis vacantia et vacatura personis idoneis, iuxta Concilii Tridentini aut alias canonicas sanctiones qualificatis, et servata in parochialibus ecclesiis praedicti Concilii Tridentini forma, conferendi et de illis etiam providendi. Ac quascumque monitoriales poenalesque [6r] litteras in forma significavit consueta contra occultos et ignotos malefactores et malefacta revelare differentes, servata forma eiusdem Concilii et constitutionum felicis recordationis Pii Papae V, etiam Praedecessoris nostri, in Cancellaria Apostolica publicatorum, concedendi, necnon permutationes rerum et bonorum ecclesiasticorum quorumcumque, quorum valor annuus summam quinque ducatorum aureorum de Camera non excedat, cum aliis similibus fundo et fructu melioribus bonis in evidentem utilitatem ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum, servata forma litterarum piaae memoriae Pauli Papae II, similiter Praedecessoris nostri, etiam super hoc editarum, et alias in forma solita confirmandi, et ut aliae simili modo fiant, licentiam tribuendi.

Postremo quibuscumque utriusque sexus personis ecclesiasticis et saecularibus, quas ad loca, ecclesiastico interdicto intra fines Tuae legationis etiam auctoritate apostolica supposita, declinare contigerit, ut in eis ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, dummodo ipsi causam non dederint huiusmodi interdicto, in sua, domesticorum et familiarium suorum praesentia celebrare et celebrari facere possint, licentiam tribuendi.

Item omnibus utriusque sexus christifidelibus ad pia salutaria opera exercenda, centum et amplius dies, citra annum, necnon vere poenitentibus et confessis, ac sacra [6v] communione refectis, qui quascumque saeculares vel regulares ecclesias vel cappellas in una vel duabus anni festivitibus, dumtaxat a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuscumque festi diei visitaverint, et pro unione principum christianorum ac fidei catholicae propagatione ac haeresum extirpatione pias preces Altissimo fuderint, quo die festo id egerint, septem annos et totidem quadragenas, aut infra de iniunctis eis, aut alias debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxandi, ita quod relaxatio huiusmodi semel tamen pro una ecclesia vel cappella fiat, etsi pro duabus festis concedatur ad triennium, pro uno vero concessa ad quinquennium tantummodo debeat perdurare, necnon vota quaecumque (Ultramarino, Visitationis Liminum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, Beatae Mariae de Laureto, Sancti Iacobi in Compostella ac Castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi ac iuramenta quaecumque ad effectum agendi, dumtaxat relaxandi. Insuper quibusvis personis ecclesiasticis saecularibus, etiam presbyteris, ut leges et iura civilia ad quinquennium audire et in illis studere et quoscumque actus scholasticos exercere et in eis, postquam idonei fuerint, gradus consuetos suscipere.

Denique omnibus et quibuscumque ecclesiasticis personis, etiam [7r] presbyteris, ut de bonis et rebus ecclesiasticis iuxta formam in quinterno Cancellariae Apostolicae adnotatam tectari et disponere possint, facultatem concedendi, ac ut concessionem, gratiae et litterae per Te vigore praesentium concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascumque personas ad effectum dumtaxat omnium et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus et quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque innodatae fuerint, dummodo in eis per annum non insorduerint, absolvendi et absolutas fore censendi vicesque Tuas in praemissis in toto sive in parte committendi, iudices, assistentes, commissarios et executores pro praesentiarum et litterarum Tuarum executione et observatione delegandi, mandata, prohibitiones et monitoria etiam sub censuris et aliis poenis praedictis caeterisque bene visis remediis, etiam appellatione postposita, decernendi ac omnia et quaecumque alia in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi etiam per alium, seu alios auctoritate apostolica tenore praesentium, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus.

Decernentes Te omnibus facultatibus et concessionibus praefatis et concessionibus etiam cum derogatione, suspensis, indultis irritantibus et aliis decretis et clausulis necessariis et opportunis, ac in litteris apostolicis concedi et extendi solitis in quibuscumque partibus legationis praedictae libere et [7v] licite uti posse, ac in concessionibus, gratiis et aliis per Te, auctoritate praesentium, Tuaeque legationis faciendis, soli narrativae Tuae, ac

etiam solis concessionibus et litteris Tuis absque alia praesentium insertione seu exhibitione, sive notarii testiumve adhibitione stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri sicque per quoscumque iudices et auditores ac S.R.E. Cardinales sublata etc. et attentari.

Non obstantibus litteris felicis memoriae Sixti Papae IV, etiam Praedecessoris nostri, quibus inter alia cavetur expresse, quod nuncii dictae Sedis, etiam cum potestate legati de latere, tam quoad beneficia conferenda, quam dispensationes et alias gratias concedendas facultatibus uti non possint, nec quaevis clausulae in litteris facultatum huiusmodi appositae adversus dictas litteras quidquam suffragentur, necnon de fructibus et aliis praesentis, ac quorumcumque conciliorum universalium, provincialium et synodalium etiam rec. memoriae [sic] Bonifacii Papae VIII, pariter Praedecessoris nostri, de una et duabus dictis aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, necnon Cancellariae Apostolicae regulis, nullis prorsus exceptis, et quae sigillatim in quacumque re exprimi possint, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, universitatum, collegiorum, civitatum et locorum huiusmodi, necnon ordinum quorumcumque etiam roboratis [8r], etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris contra illa, et illis etiam ab alio, vel aliis impetratis, seu alias quovis modo concessis, non utendo, personae praestiterint eatenus, vel in posterum praestare contigerit iuramentum, ac quibusvis aliis privilegiis et indultis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque, etiam Cisterciensis et Cluniacensis ordinum et ipsorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam clausulis et decretis per quoscumque ac quotiescumque concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus caeterisque contrariis quibuscumque, ubi et quando expediet, secundum rei et casus exigentiam in genere vel in specie, ac tam coniunctim, quam divisim valeas derogare ac super his indulgere.

Quodque aliqui super provisionibus sibi faciendis de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus personas, in quarum favorem per Te de beneficiis praedictis providebitur, aut alias disponetur, in eorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari. Seu si locorum ordinariis vel colle[8v]ctoribus vel quibusvis aliis communiter etc. indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur; et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas etc. mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et

litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus, necnon litteris per Te earumdem praesentium vigore concedendis, non expressa vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumcumque totis tenoribus etc. mentio specialis.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu regentis cancellariae Tuae ac sigillo Tuo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum [apud] S. M[ariam] M[aiorem], (c-15 Iulii 1706, a[nno] 6^c).

(d-Placet, I[oannes] F[ranciscus]-d)

(c-F. Oliverius-c)

a) *Recte: Masoviae*

b) *Textus illegibilis.*

c-c) *Manu F. Oliverii, referendarii pontificii.*

d-d) *Manu Clementis XI. Supplicationes a summis pontificibus subscribebantur primis litteris nominis in baptismo accepti (hic: Ioannes Franciscus Albani).*

N. 3.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 15 VII 1706.

Impertit ei facultatem exercendi pontificalia in quibuscumque locis, ubi eum pro tempore adesse contigerit. Contrariis non obstantibus.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 20r.

N. 4.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 16 VII 1706.

Impertit ei facultatem concedendi quinquaginta personis nobilibus licentiam in oratoriis privatis missam celebrandi et quinquaginta aliis altare portatile possidendi.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 12r-v. Sub textu et in f. 13v: "Pro Iulio Archiepiscopo Rhodiensi, Nuncio Poloniae", et summarium cum addito: "Est iuxta expeditionem pro Nunciis praedecessoribus".

Venerabili Fratri Iulio Archiepiscopo Rhodiensi
ad Charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem
Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio
Clemens Papa XI

Venerabilis frater salutem. Ut tu, quem nuper nostrum et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem illustrem, nuncium deputavimus, spirituali consolationi ac commoditati personarum illarum partium melius consulere valeas, supplicationibus tuo nomine Nobis etc. inclinati, Fraternitati tuae, ut quinquaginta personis nobilibus illarum partium, ex aliqua tibi benevisa causa, quod in privatis quisque domorum suarum oratoriis, ad hoc decenter muro extractis et ornatis, seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, per ordinarium loci prius visitandis et approbandis, ac de ipsius ordinarii licentia eius arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia alteri concessa non fuerit per quemcumque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum, saecularem seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis; necnon quinquaginta aliis personis similibus, ut in itinere per eos pro tempore faciendo altare portatile, debitis tamen cum honore et reverentia habere, et super eo, ubi ecclesiarum [12v] commoditas defuerit, et in casu necessitatis tamen, sacrosanctum missae sacrificium per quemcumque sacerdotem approbatum, saecularem vel regularem, ut supra, in locis ad id congruis ac decentibus, in sua ac familiarum suarum praesentia, celebrari facere libere et licite valeant, concedendi et indulgendi facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod familiares servitiis eorum, quibus similes licentias in oratoriis huiusmodi celebrandi per te, vigore praesentium, concedi contigerit, non necessarii inibi missae interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Datum ^{(a-}[apud] S. M[ariam] M[aiorem], 16 Iulii 1706, anno sexto^{-a)}.

(b-Placet, I[ohannes] F[ranciscus]-b)

(a-F. Oliverius-a)

^{a-a)} *Manu F. Oliverii.*

^{b-b)} *Manu Clementis XI.*

N. 5.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 16 VII 1706.

Extendit facultates ei concessas ad exercitum regis Poloniae contra Turcas conscribendum.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 14r-v. In fine et in f. 15v summarium, cum addito: "Est iuxta expeditionem pro eius Praedecessore".

Clemens Papa XI

Ad futuram etc. Ad ea, per quae spirituali personarum in charissimi in Christo filii nostri Augusti, Poloniae Regis illustris, exercitu contra Turcas pro tempore conscripto militantium consolationi et animarum saluti consulitur, libenter intendimus, ac desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus. Nuper siquidem venerabilem fratrem Iulium, Archiepiscopum Rhodiensem, nostrum et Apostolicae Sedis ad praedictum Augustum Regem nuncium cum potestate legati a latere destinavimus, utque Regni Poloniae, eiusque locorum et personarum statui et saluti opera eiusdem Iulii Archiepiscopi consuleretur, certas eidem Iulio Archiepiscopo facultates concessimus, prout in nostris desuper in simili forma brevis expeditis literis plenius continetur²⁵.

Cum autem evenire possit, ut durante munere nuncii huiusmodi exercitus contra Turcas conscribatur, et eundem exercitum pro fidei catholicae et eiusdem Regni defensione extra illius fines progredi oporteat, idcirco nos facultatem et literarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes, in eventum conscriptionis et progressus exercitus contra Turcas huiusmodi, omnes et quascumque facultates Iulio, Archiepiscopo praedicto, a nobis, ut praedicitur, concessas, ad omnes et singulas personas exercitus praedicti, ut praefertur, contra Turcas conscribendi, in quocumque loco fuerit, apostolica auctoritate tenore praesentium extendimus et ampliamus, ac Iulium [14v] Archiepiscopum praedictum, dictis facultatibus cum omnibus et singulis personis in dicto exercitu, quocumque loco fuerit, militantibus uti, illasque exercere libere et licite posse decernimus et declaramus.

²⁵ Cfr. N. 2.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum ^{(a-[apud] S. M[ariam] M[aiorem], die 16 Iulii 1706, a[nn]o sexto^{-a}).}

^(b-Placet, I[ohannes] F[ranciscus]-b)

^(a-F. Oliverius-a)

^{a-a) Manu F. Oliverii.}

^{b-b) Manu Clementis XI.}

N. 6.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 16 VII 1706.

Impertit ei facultatem promovendi extra tempora et dispensandi super defectu natalium ad ordines et beneficia, non tamen ad dignitates maiores in cathedralibus, neque principales in collegiatis ecclesiis.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 16r-17r. In fine et in f. 17v: "Pro Iulio archiepiscopo Rhodiensi, Nuncio Poloniae", et summarium (f.17r).

Venerabili fratri Iulio Archiepiscopo Rhodiensi, ad Charissimum
in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et
Apostolicae Sedis Nuncio

Clemens Papa XI

Venerabilis frater, salutem etc. Ut necessitatibus ecclesiarum intra fines tuae legationis consistentium, ob ministrorum idoneorum defectum prospicere, et erga personas illarum partium, quas Tu in catholica fide constantes ac vitae et morum probitate aliisque virtutum meritis praeditas esse cognoveris, nostram et Apostolicae Sedis beneficentiam melius exercere valeas, de Fraternitatis tuae singulari fide, prudentia et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, ultra alias tibi per Nos concessas facultates, quas praesentibus pro expressis haberi volumus, eidem Fraternitati tuae, ut durante tua legatione huiusmodi et intra illius fines, quoscumque clericos partium illarum dumtaxat, idoneos tamen et in aetate legitima constitutos, et alias a sacris canonibus et Concilio Tridentino requisita habentes, sacerdotali militiae adscribi volentes, ad sufficientem beneficiorum titulum, cum

ecclesiarum praedictarum necessitas postulaverit, servata forma canonum et concilii praedictorum, ad quattuor minores, quatenus illos nondum susceperint, quattuor feriatis vel non feriatis, et deinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines, tribus dominicis seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, [16v] arbitrio tuo definiendo, interpolatis), etiam extra tempora ad id a iure statuta et interstitiis a praedicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex sacris susceptis ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, ad sufficientem patrimonii, seu beneficii, titulum per te seu alios catholicos antistites a te deputandos promovere; ipsique sic promoti in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant.

Ac cum quibusvis defectum natalium patientibus partium praedictarum, per te tamen, ac cum iis tantum, qui paternae incontinentiae imitatores non essent ac doctrinae vitaeque ac morum honestate et aliis virtutum meritis commendatos excellere cognoveris. Super quo conscientiam tuam oneramus, sic ut defectu natalium aliisque praemissis non obstantibus, qui clericali caractere insigniti non fuerint, illo insigniri, ac ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum fuerint promoti, promoveri, et in eis susceptis, etiam in altaris ministerio ministrare ac quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, se alias invicem compatientia, quomodolibet qualificata et nuncupata (non tamen dignitates post pontificales maiores aut canonicatus et praebendas in cathedralibus, ac dignitates principales in collegiatis ecclesiis) recipere et retinere libere et licite possint, per te ipsum tantum dispensare libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem tribuimus et impartimur.

Non [17r] obstantibus praemissis ac Pictaviensis Concilii, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, etiam et statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. ^{(a-Datum [apud] S. M[ariam] M[aiorem], 16 Iulii 1706, anno sexto^a).}

(b-Placet, I[oannes] F[ranciscus]-b)

(a-F. Oliverius^a)

^{a-a)} *Manu F. Oliverii.*

^{b-b)} *Manu Clementis XI.*

N. 7.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 16 VII 1706.

Impertit ei facultatem creandi sex protonotarios apostolicos.

Reg.: AV, Sec.Brev. 2188 f. 18r-19r. In fine et in f. 19v: "Pro Rev. Iulio Archiepiscopo Rhodiensi, Nuncio Poloniae", cum addito: "Est iuxta expeditionem pro aliis Nunciis Praedecessoribus, adiecto, ut Prothonotarii sic creandi ante exercitium tituli, insignium et privilegiorum prothonotariis huiusmodi competentium et intra tres menses tunc proximos, transumptum authenticum literarum eiusdem Nuncii super eorum creatione in Notarios emanatarum penes Secretarium Brevium Sanctitati Vestrae exhibere seu exhiberi facere debeant, sub inhabilitatis ad pensiones et beneficia ecclesiastica in posterum obtinenda aliisque poenis arbitrio Sanctitatis Vestrae et Romani Pontificis pro tempore existentis; utque de hac Sanctitatis V.rae voluntate fiat in praefatis literis mentio specialis".

Venerabili fratri Iulio Archiepiscopo Rhodiensi,
 ad Charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem
 Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio

Clemens Papa XI

Venerabilis frater, salutem etc. Cum nos hodie te, ad charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostrum et Sedis Apostolicae nuncium, cum facultatibus tibi ad hoc munus obeundum necessariis et opportunis deputaverimus, prout in nostris desuper expeditis litteris latius continetur²⁶, nunc ut munus ipsum maiori cum utilitate et dictae Sedis decore valeas adimplere, ultra alias facultates, tibi sex tantum viros ecclesiasticos, virtute et meritis praestantes ac nostri et Apostolicae Sedis inprimis devotos, in nostros et eiusdem Sedis notarios auctoritate nostra apostolica recipiendi et admittendi ac illos aliorum nostrorum et dictae Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi, eisque ut etiamsi habitum et rocchettum non deferant, nihilominus omnibus et singulis facultatibus, honoribus, praeeminentis, indultis, privilegiis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii nostri et dictae Sedis notarii tam de iure quam de consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (absque tamen aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum de numero participantium praeiudicio et citra exemptiones a Sacro Concilio Tridentino sublatas [18v] et facultates legitimandi, ad gradus promovendi et notarios creandi, aliaque

²⁶ Cfr. N. 2-5.

similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa seu ab eis praetensa, quibus notarii a te creandi nullibi uti valeant) uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, concedendi et indulgendi licentiam et facultatem impartimur. Non obstante Lateranensis Concilii de certo eorundem notariorum numero, cui per hoc alias non intendimus derogare aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon collegii dictorum notariorum etiam iuramento consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod notarii per te, vigore praesentium, creandi antequam exercitio tituli, insigniumque et privilegiorum notariis huiusmodi competentibus perfrui incipiant nedum in manibus tuis, seu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praefata propositos emittere et solitum fidelitatis iuramentum praestare teneantur, sed ulterius ante praefatum exercitium et intra menses tres ex tunc proximos, etiam sub inhabilitatis ad quascumque pensiones et beneficia ecclesiastica in posterum obtinenda aliisque nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio poenis exhibere seu exhiberi facere exemplum sive transumptum authenticum tuarum literarum eorum creationis in notarios penes nostrum et eiusdem Sedis secretarium brevium omnino debeant, [19r] quodque de hac voluntate nostra in praedictis litteris tuis fiat mentio specialis. Datum ^(a)[apud S. Mariam Maiorem 16 Iulii 1706, anno sexto]^(a).

(b-Placet, I[oannes] F[ranciscus]^(b))

(c-F. Oliverius^(c))

^{a-a)} *In ms. deest.*

^{b-b)} *Manu Clementis XI.*

^{c-c)} *Manu F. Oliverii.*

N. 8.

Clemens XI, pontifex maximus
Iulio Piazza

Romae, 21 VII 1706.

Impertit ei facultatem conferendi in mensibus Sedi Apostolicae reservatis tres canonicatus et praebendas metropolitanae ecclesiae Gnesnensis personis ab archiepiscopo Gnesnensi nominandis.

Venerabili fratri Iulio Archiepiscopo Rhodiensi,
 apud Charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem
 Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio

Clemens Papa XI

Venerabilis frater, salutem etc. Egregia venerabilis fratris Stanislai Archiepiscopi Gnesnensis²⁷ in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis merita poscunt, ut ea illi libenter concedamus, per quae erga personas istarum partium sibi gratas et acceptas se beneficium exhibere possit et liberalem. Supplicationibus itaque eiusdem Stanislai Archiepiscopi nobis super hoc humillime porrectis inclinati, Tibi ut tres Metropolitanae Ecclesiae Gnesnensis canonicatus et praebendas, quos in mensibus nostrae et dictae Sedis dispositioni reservatis per obitum illos obtinentium primo vacare contigerit, personis idoneis, dicto Stanislao Archiepiscopo Gnesnensi, ut praefatur, gratis et acceptis ac ab eo specialiter nominandis, quae in primis in catholica fide constantes sint, auctoritate nostra apostolica conferre et de illis etiam providere, ipsasque personas vel earum procuratores earum nomine in corporalem possessionem canonicatum et praebendarum huiusmodi, per te, vigore praesentium, illis conferendorum bonorumque et pertinentiarum suorum quorumcumque inducere et inductas defendere ac quoscumque illicitos detentores ab illis amovere sibique de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus integre responderi aliaque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere, necnon contradictores quoslibet per [119v] censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compellere libere et licite possis et valeas, facultatem, auctoritate praedicta, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Decernentes collationes et provisiones per te de dictis canonicatibus et praebendis, ut praefatur, faciendas perinde validas, firmas et efficaces existere et fore in omnibus et per omnia ac si a nobismetipsis factae fuissent. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam per auditores, iudicari et definiri debere ac initum attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praesertim Cancellariae Apostolicae regulis dictaeque Metropolitanae Ecclesiae Gnesnensis, etiam statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod ii, quibus canonicatus et praebendas huiusmodi contuleris, infra octo menses a die illorum collationis et provisionis computandos novas provisiones super illis a nobis et Apostolica Sede impetrare et litteras Apostolicas sub plumbo desuper expedire, iuraque Cancellariae et Camerae Apostolicae aliisque propterea debita persolvere omnino tenean-

²⁷ Stanislaus Szembek (1650-1721), 7 VI 1706 nominatus aepus Gnesnensis.

tur. Alioquin elapsis iisdem mensibus, canonicatus et praebendae huiusmodi vacare censeantur eo ipso possintque aliis per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, dumtaxat libere conferri nisi provisi legitimo impedimento detenti, de huiusmodi legitimo impedimento coram Datario nostro [126r] constare fecerint, vel ipsis petentibus novas provisiones huiusmodi et protestantibus, quod per eos non stat, contigerit illas eis denegari. Datum [apud] S. M[ariam] M[aiorem], die 21 Iulii 1706, anno sexto.

(a-Placet, I[oannes] F[ranciscus]-a)

(b-F. Oliverius-b)

^{a-a)} *Manu Clementis XI.*

^{b-b)} *Manu F. Oliverii.*

N. 9.

Litterae passus a Clemente XI Iulio Piazza datae

Romae, [16 VII 1706].

Novum nuntium in Polonia nominatum commendat et rogat, ut ei in itinere auxilio adsint.

Reg.: AV, Sec. Brev. 2188 f. 22r. In fine et in f. 23v: "Pro Rev. Iulio Archiepiscopo Rhodiensi Nuncio Poloniae", et summarium, cum addito: "Passus in forma solita, iuxta expeditionem pro Nunciis Praedecessoribus".

Clemens Papa XI

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum venerabilem fratrem Iulium, Archiepiscopum Rhodiensem, ad charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostrum et Sedis Apostolicae nuntium deputaverimus, nos cupientes, ut illi tutum iter ubique, tam eundo quam redeundo, pateat, charissimos in Christo filios nostros reges ac republicas, necnon dilectos filios nobiles viros duces, principes, marchiones, comites, barones, necnon exercituum et classium generales, et alios capitaneos, colonellos et ductores, ac milites ac arcium et portuum castellanos et quoscumque custodes, aliosque Christifideles, etiam nobis non subditos, quo possumus affectu, paterne in Domino requirimus et hortamur; subditis vero nostris praecipimus et mandamus, ut eundem Iulium, Archiepiscopum et Nuntium, tam eundo quam redeundo, unacum

familiaribus et sociis, sarcinis et rebus suis universis, tuto et libere per sua quisque loca, ditiones et dominia, terra marique, in cuiuscumque personae vel nationis navigio eum transfretare contigerit, ac sine alicuius vectigalis, datii vel gabellae solutione transire et in eisdem commorari nostra causa libenter permittant ac illum honoribus et humanitatis officiis prosequantur, necnon securitatem in itinere, prout opus fuerit, concedant et praestent. In quo nobis non subditi rem gratissimam facient, nosque eis vicissim parem gratiam, ubi occasio tulerit, referemus, subditi vero nostri suam erga nos fidem et obedientiam declarabunt. Datum ^(a)[apud S. Mariam Maiorem, die 16 Iulii, anno sexto]^(a).

(b- Placet, I[oannes] F[ranciscus]^(b))

(c-F. Oliverius^(c))

a-a) *In ms. deest.*

b-b) *Manu Clementis XI.*

c-c) *Manu F. Oliverii.*

N. 10.

Iosephus I, imperator
Iulio Piazza

Viennae, 21 VII 1706.

Gratias agit, quod de collato sibi nuntii apostolici in Polonia munere se certiore reddidit, benevolentiam caesaream offert et gratulatur.

Reg.: Wien, HHStA, Rom.Varia 18, s.f.

Iosephus, etc. Perlibenter legimus Devotionis Tuae literas, quibus Nos de collato sibi a Summi Pontificis Sanctitate Nuntii Apostolici munere in Polonia certiores reddit atque observantiae erga Nos suae studia officiose defert²⁸. Quod uti perbenigno et grato affectu accipimus, amplissimamque hancce provinciam, tum de Ecclesia et orthodoxa religione bene merendi occasionem, Devotioni Tuae plurimum gratulamur, utque illa fructuose et feliciter defungatur, impense fovemque [sic] et vicissim Devotioni Tuae benevolentiam et gratiam N.ram Caesaream prolixè offerimus. Viennae, 21 Iulii 1706.

²⁸ Cfr.N.1.

Clemens XI, pontifex maximus
Augusto II, regi Poloniae

Romae, 31 VII 1706.

Novum nuntium, Iulium Piazza, commendat.

Reg.: AV, Ep. ad Princ. 85 f 128r. In f. 128v eadem manu: "Sub eodem argumento et sub eadem data fuerunt scripta brevia epistolaria pro retrospecto venerabili fratre Iulio, Archiepiscopo Rhodiensi, sequentibus, videlicet: Archiepiscopis Gnesnensi [S. Szembek] et Leopoliensi [C. Zieliński], ac Episcopis: Camenecensi [B. Gniński], Cracoviensi [vacat], Kiowiensi [I. Gomoliński], Luceoriensi [A. Wyhowski], Culmensi [T. Potocki], Plocensi [L. Załuski], Vlnensi [C. Brzostowski], Vladislaviensi [C. Szaniawski], Samogitiae [I. Kryszpin-Kirszenstein], Premisliensi [I. Bokum], Chelmensi [C. Łubieński], necnon Dilectis filiis Nobilibus Viris: Succemario Regni Poloniae [I. Lubomirski], Supremo Regni Poloniae Thesaurario [I. Przebendowski], Procancellario Regni Poloniae [I. Szembek], Supremo Regni Poloniae Mareschallo [C. Bieliński], Supremo Exercituum Regni Poloniae Duci [A. Sieniawski], Exercituum Regni Poloniae Duci Campestri [S. Rzewuski], Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario [C. Radziwiłł], Magni Ducatus Lithuaniae Procancellario [S. Szczuka], Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Thesaurario [L. Pocij], Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Exercituum Duci [M. Wiśniowiecki], Exercituum Magni Ducatus Lithuaniae Duci Campestri [G. Ogiński], Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Mareschallo [M. Wołłowicz], Curiae Magni Ducatus Lithuaniae Mareschallo [I. Mniszech]. Quae brevia non sunt hic registrata, eo quod eorundem brevium fuerit factum duplicatum pro ipsomet Nuncio in Regno Poloniae, ut infra sub die 6 Novembris decurrentis anni cum titulo Archiepiscopatus Nazareni, absque Brevi pro Rege, qui tunc existebat in Saxonia".

Charissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae Regi Illustri,
 Clemens Papa XI

Charissime in Christo fili Noster, salutem etc. Pontificiae et Paternae charitatis novum argumentum daturi, Maiestati tuae ordinarium Nostrum Nuncium istuc allegamus Venerabilem fratrem Iulium Archiepiscopum Rhodiensem, Praelatum Nostrum Domesticum et Assistentem, omnibus tum generis tum animi praerogativis, quae ad huiusmodi Munus recte ob-eundum pertinere dignoscuntur, praeclare instructum. Erit itaque filialis illius studii, quod erga Nos atque hanc Sanctam Sedem profiteris, non modo fidem eius dictis omnimodam praebere, verum ipsum Praesulem ea, quae ex tua Dignitate erunt, curaturum, omni honoris significatione prosequi, ut semper magis demerearis benevolentiam Nostram, cuius pignus Apostolicam Benedictionem Maiestati tuae amantissime impertimur. Datum Ro-

mae, apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die 31 Iulii 1706. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

N. 12.

Clemens XI, pontifex maximus
Stanislao Szembek, archiepiscopo Gnesnensi

Romae, 31 VII 1706.

Novum nuntium, Iulium Piazza, commendat.

Min.: AV, Nunz.Pol., Add. 7, fasc. III/2, s.f.

Reg.: Ep. ad Princ. 85 f. 162v-163r (cum dato 6 XI 1706).

Venerabili fratri Stanislao Archiepiscopo Gnesnensi

Clemens Papa XI

Ex Saxonia per Cracoviam rumor pervenit de pace inter Poloniae et Suetiae reges composita et de quibusdam eiusdem pacis condicionibus, scil. de Moscovitis ab ea excludendis et Ioanne Reinholdo Patkul Suecis tradendo; quod tamen dubium esse videtur. Cracovia afferunt regem Augustum in vicinia urbis in itinere Saxoniam versus transiisse, totam vero aulam una cum regni vicecancellario in urbe exspectari. In arce Cracoviensi novum praefectum constitutum esse. Copias Saxonicas, relictis hibernis, palatinum Cracoviensem intrasse. Baronem Tiepold Cracoviae commorari pergere; palatinum Kioviensem, cum aliis in custodia detentum, ibi etiam exspectari. Adamum Śmigiel-ski ad imperatorem Moscorum defecisse. Moscovitas apud Leopolim hiberna posuisse et contributiones ab incolis exigere. Lipsia scribitur legatos Saxonicos et principes Weissenfels et Zeitz a rege Suetiae reversos esse, deminutione tributorum non impetrata. Regem Suetiae, ad lustrandam stipatorum suorum legionem, prope Dresdam accessisse.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 719r-v.**Min.:** AV, Nunz.Pol. 132A f. 174v-175r.

Troppaw, 13 Decembre 1706.

Essendo di Sassonia passata in Craccovia la voce ivi sparsasi della pace seguita tra i Re di Polonia e Svezia, vi si parlava anche di alcune condizioni di essa che supponevano fossero: l'esclusione dei Moscoviti dalla medema e la consegna del Generale Patkul¹⁷¹ ai Suedesi, con altri articoli, della sussistenza de quali, sicome altresì dei primi, da molti si dubitava.

Avvisano di Craccovia che era passato in quelle vicinanze con poco seguito il Re di Polonia, con haver presa la strada, per quanto ne correva la voce, alla volta della Sassonia; si attendeva però in quella Città tutta la Corte di Sua Maestà col Sig. Vicecancelliere della Corona¹⁷². Era stato nel Castello di essa stabilito per nuovo Commandante il Barone di Kiaw, Sassone¹⁷³, restando però nella Città quello, che già vi era col solito presidio. Entravano

¹⁷¹ Ioannes Reinholdus Patkul (†1707), procer Livonicus, adversarius Suecorum.

¹⁷² Ioannes Szembek.

¹⁷³ Fridericus Gulielmus a Kyaw (Kyan), (†1733), ab a. 1704 stipatorum Augusti II praefectus.

però nel Palatinato di Craccovia le truppe Sassone, ^(a-*a*) che si trovavano altrove^{a)} nei quartieri d'inverno; né si sa il motivo di questo cangiamento

Continua la sua dimora nella nominata Città di Craccovia il Sig. Barone Tiepoldt Residente Cesareo, accudendo con esattezza agl'affari che concernono il proprio Sovrano¹⁷⁴.

Si attendeva in quella Città colla scorta di cento guardie il Palatino di Chiovia¹⁷⁵ colla moglie e figli, ed il Gran Notaro della Corona¹⁷⁶ col Conte [719v] Tarlo¹⁷⁷, per essere ivi ritenuti in arresto.

Il Sig. Smigielski¹⁷⁸ era passato al servizio del Czar, per non volere essere sottoposto al comando dei nuovi Generali di Polonia.

Si trovano i Moscoviti nelle vicinanze di Leopoli, dove godono i quartieri d'inverno, né mancano di esiggere dal paese molte contribuzioni.

Scrivono di Lipsia che vi erano ritornati tutti i deputati del Circolo di Sassonia, per replicare le loro istanze appresso il Re di Svezia per avere qualche diminuzione delle imposizioni, alle quali è stato sottoposto il paese. Ma si crede indarno, poiché vengono esatte dai suoi commissarii non solo con sommo rigore, ma anche coll'esecuzione militare.

Erano ritornati ai suoi Stati i Duchi di Sassonia Weissenfeldt e Zeitz, il quale non ostante la sua stretta parentela coll'Elettore di Brandeburgo¹⁷⁹, non ha potuto esimersi dal pagamento di esorbitanti somme di denaro, per le quali era stato tassato il di lui Stato.

S'era portato il Re di Svezia a cinque leghe di Dresda per farvi la rivista del Reggimento delle sue Guardie, che era stato reclutato, rimontato e vestito di nuovo.

^{a-a)} *Adscriptum supra.*

¹⁷⁴ Baro Franciscus Tiepold, "residens" imperatoris in Polonia 1702-1715.

¹⁷⁵ Iosephus Potocki.

¹⁷⁶ Ioannes Kurdwanowski.

¹⁷⁷ Stanislaus Tarło, palatinus Lublinensis, coquinae regiae praefectus (cfr. N. 88).

¹⁷⁸ Adamus Śmigielski († 1716), capitaneus Gnesnensis, exercitus Stanislai Leszczyński dux.

¹⁷⁹ Fridericus III Hohenzollern (1657-1713), elector Brandenburgensis ab 1688; ab a. 1701 assumpsit titulum regis "in Prussia".

N. 75.

Iulius Piazza
Alberto Jaczyński

Opaviae, 14 XII 1706.

Dispensat cum eo extra tempora ad presbyteratum ob necessitatem ecclesiae parochialis Usakoviensis (Husaków) in dioecesi Premisliensi (expedita in forma, ut in N. 49).

Reg.: AV, Arch.Nunz.Vars. 182 f. 2r-v.

N. 76.

Iulius Piazza
Christino Mirecki OSB, abbati monasterii
S. Crucis in Monte Calvo

Opaviae, 15 XII 1706.

Ratam facit facultatem, olim ab Horatio Spada ei concessam, ut monasteria Plocense et Mogilnicense Ordinis S. Benedicti, tam in capite quam in membris, visitaret, emendaret et reformaret, ubi necessitas postulaverit.

Reg.: AV, Arch.Nunz.Vars. 182 f. 2v.

Iulius Piazza etc. Dilecto Nobis in Christo Rev.mo Patri Christino Mirecki, Abbati Sanctae Crucis in Calvo Monte, Ordinis S. Benedicti, salutem etc. Noverit Paternitas V.ra Rev.ma, quod licet alias Eminentissimus ac Rev.mus Dominus Horatius Philippus S.R.E. Presbyter Cardinalis Spada, Episcopus Lucanus, tunc Nuntius Apostolicus ad Regnum Poloniae, antecessor noster, dederit in commissis Paternitati V.rae Rev.mae, sub die 25 Octobris proxime praeteriti, quatenus eadem Paternitas V.ra Rev.ma autoritate Suae Eminentiae uti Nuncii Apostolici monasteria Plocense et Mogilnicense Ordinis S. Benedicti, tam in capite quam in membris visitaret, corrigeret, emendaret et reformaret, ubi necessitas fuerit, et prout latius in ipsis potentialibus desuper emanatis continetur¹⁸⁰, ad quas etc. Quia tamen huiusmodi sibi commissa V.ra Paternitas Rev.ma explere, immo nec inchoare

¹⁸⁰ Inveniuntur hae epistolae in AV, Arch.Nunz.Vars. 181 f. 67r.

potuerit, dubitatum extitit quantum iam valeat, stante ad praesens cessatione muneris Legationis in Regno Poloniae Suae Eminentiae et Nostrae iurisdictionis inchoatione, ad commissam sibi demandata devenire.

Ideoque ad Nos recursus habitus pro declaratione et quatenus opus sit, pro ratihabitione huiusmodi Commissionis, et si et in quantum necesse fuerit, pro nova commissione danda. Nos rationabilem instantiam attendentes, cum qua Nobis relatum fuerit, quod in praedictis monasteriis Plocensi et Mogilnicensi plurimum necessaria sit visitatio et reformatio atque correctio, praedictam commissionem ad visitanda dicta monasteria Plocense et Mogilnicense Ordinis S. Benedicti, per Eminentissimum ac Rev.mum Dominum Cardinalem Spada, Antecessorem Nostrum, Nuncium Apostolicum in Regno Poloniae, in personam Rev.mae Paternitatis Vestrae sub die 25 Octobris proxime praeteriti datam, ratam habemus et, si et in quantum opus est, eidem Paternitati V.rae Rev.mae de novo committimus et demandamus, ut huiusmodi commissionem de visitandis dictis monasteriis Plocensi et Mogilnicensi, Ordinis S. Benedicti, datam per Suam Eminentiam, ut supra, ad tenorem ipsius in potentialibus diei 25 Octobris expressis, omniaque et singula in eadem commissione contenta peragat et exequatur. Nos enim ad praemissum effectum plenam et liberam facultatem Paternitati V.rae Rev.mae damus et concedimus etiam per praesentes, quibuscunque non obstantibus etc. In quorum fidem etc. Datum Opaviae in Silesia die 15 Decembris Anno Domini 1706.

(Locus + Sigilli)

I[ulius] Archiepiscopus Nazarenus
Nuntius Apostolicus
Io[annes] Carolus de Vannis
Auditor Generalis
Adalbertus Skwarczyński,
Cancellarius

N. 77.

Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza

Romae, 18 XII 1706.

Pro novissimis epistulis, 2 et 25 XI datis (cfr. N. 34-37, 39-40), gratias agit; summum pontificem diligentiam eius et studium in expediendis negotiis ei commissis magni aestimare nuntiat; annectit epistulas ad negotia continua spectantes (cfr. N. 78-82).

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 27r.

Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 552r-v.

N. 78.

**Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza**

Romae, 18 XII 1706.

Diligentiam eius, quam in cito mittendis novis de pace inter reges Poloniae et Suetiae composita adhibuerit, probat. Scribit deditionem et abdicationem Augusti 20 X factam veri similem non videri, praesertim si eam cum victoria regis 29 X de Suecis reportata comparemus. Rebus ita implicatis et incertis, modum et rationem se porro gerendi et agendi prudentiae eius relinquit.

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 32r-33r.

Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 552v-553r.

Ill.mo e Rev.mo Signore.

Era già precorso qua (come V.ra Signoria Ill.ma potrà veder dalle passate mie lettere) l'avviso della pubblicazione fattasi in Sassonia della supposta pace tra il Re di Polonia e quello di Svezia. Nulla di meno è stata molt'opportuna e gradita la diligenza usatasi da Lei in spedirne per staffetta sino a Vienna la notizia havutane da Lipsia, mentre ha fatto veder l'attenzione sua alle parti che le incumbono. Non ostante però che non possa controvertersi la pubblicazione, non si sa che debba sin'ora credersi della pace, imperò che, oltre il venir resa inverisimile dall'ignominia delle condizioni rispetto al Re di Polonia, non vien punto comprovata dalla condotta di Sua Maestà, non concordando insieme che la Maestà Sua havesse sottoscritta la pace alli 20 Ottobre e che alli 29 sia andata ad attaccare e battere gli Suedesi¹⁸¹, che havesse sacrificato alla discrezione del Re di Svezia i Moscoviti, suoi ausiliarii, e che sia restata e resti poi tuttavia tra di essi [32v] esposta a loro risentimenti. E infine, che in luogo di entrar in Sassonia, quando n'era su confini, non men per sottrarsi dagl'insulti de Moscoviti che per dar esecuzione alla pace, siasi inoltrata maggiormente nel Regno, trasferendosi a Varsavia per disporsi alla continuazione della guerra. Si sta dunque aspettando con somm'agitazione et impazienza il rischiaramento di questa grand'oscurità, con sicurezza che V.ra Signoria Ill.ma sia per non lasciarci deside-

¹⁸¹ Agitur de victoria 29 X 1706 de Suecis apud Calissiam reportata.

rare quei lumi che saranno opportuni; mentre io, non sapendo in questa incertezza e confusione qual'indirizzo dare a suoi passi, ne rimetto, come già ho scritto, alla sua prudenza il regolamento, persuadendomi per altro che, quando sussista il supposto trattato e che debba ridursi realmente all'effetto, ella non lascerà di avanzarne qua con sollecitudine la notizia, come non si lascerà di far sapere a Lei dal canto nostro con spedizione espressa ciò che si giudicasse opportuno e necessario su questo punto. E qua [33r] per fine resto con augurare a V.ra Signoria Ill.ma dal cielo copiose felicità. Roma, 18 Dicembre 1706.

Di V.ra Signoria Ill.ma

Affettuosissimo etc.

(a-F[abrizio] Card. Paulucci-a)

a-a) *Autographum.*

N. 79.

Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza

Romae, 18 XII 1706.

Nomine papae gratias agit pro gratulatione in initio septimi anni pontificatus facta (cfr. N. 36).

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 28r.

Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 553v.

N. 80.

Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza

Romae, 18 XII 1706.

Nuntiat litteras regis Augusti, in negotio episcopi Chelmensis ad sedem Cracoviensem transferendi scriptas, summo pontifici nondum traditas esse. Cuius rei causam esse scribit incertum et ambiguum rerum statum, qui obscuram pacem inter Poloniam et Suetiam constitutam secutus sit, quamquam episcopus Łubieński bona in Urbe fruatur existimatione.

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 31r.
Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 553v-554r.

Ill.mo e Rev.mo Signore.

L'original della lettera regia, di cui V.ra Signoria Ill.ma mi manda la copia, trasmessa al Sig. Abbate Vanni dal Sig. Baron di Schenck, concernente la traslazione del Vescovo di Chelma¹⁸² al Vescovado di Cracovia¹⁸³, non è stato fin'ora presentato a N.ro Signore. Ma quand'anche ciò fosse seguito, o sia per seguire, ben potrà la prudenza di Lei riflettere e andar persuasa che sin a tanto che non resti sciolto l'enigma della divulgata pace, non conviene di far in questa materia alcun passo per non cimentarsi a qualche impegno. E il Re non potrà imputar, che a se stesso questa necessaria sospensione, giacché ha aspettato a far ora solamente una parte, che per tanti titoli dovea far molto tempo prima. Per altro si ha qui del merito di Mons. Lubienscki ogni buona opinione, e se ne daranno a tempo proprio le dimostrazioni. Augurando io *etc.* Roma, 18 Dicembre 1706.

Di V.ra Signoria Ill.ma

Affettuosissimo *etc.*

(a-F[abrizio] card. Pauluci-a)

a-a) *Autographum.*

N. 81

Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza

Romae, 18 XII 1706.

Nuntiat, propter res in Polonia incertas et perturbatas, facultates nuntii ad celebrandos processus contra nonnullos episcopos Polonos necessarias ad tempus suspensas esse.

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 30r.
Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 554r.

¹⁸² Casimirus Łubieński.

¹⁸³ Cfr. N. 40.

Ill.mo e Rev.mo Signore.

Persuadendoci l'incertezza in cui viviamo della supposta pace a sospendere ogni passo in ordine a processi incominciati o da incominciarsi in cote-sta Nunziatura contro alcuni Vescovi di Polonia¹⁸⁴, si sospende per ora di munir V.ra Signoria Ill.ma delle facultà a ciò opportune e necessarie. Le quali si comunicheranno poi a tempo proprio, quando il bisogno lo richiedesse. E intanto le auguro *etc.* Roma, 18 Dicembre 1706.

Di V.ra Signoria Ill.ma

Affettuosissimo *etc.*

(a-F[abrizio] card. Paulucci^a)

^{a-a}) *Autographum.*

N. 82.

**Card. Fabricius Paulucci
Iulio Piazza**

Romae, 18 XII 1706.

Scribit brevia, archiepiscopo Leopoliensi, episcopo Camenecensi et regni cancellario destinata, inconsiderate et incaute ei transmissa esse. Mandat ei, ne interim ea ad ipsos mittat, sed apud se retineat et iussa sua exspectet.

Or.: AV, Nunz.Pol. 203A f. 29r.

Reg.: AV, Nunz.Pol. 189 f. 554r.

Ill.mo e Rev.mo Signore.

Per inavvertenza furono trasmessi a V.ra Signoria Ill.ma i brevi per l'Arcivescovo di Leopoli, Vescovo di Caminietz e Gran Cancelliere del Regno¹⁸⁵. Ed è stata però molt'opportuna l'avvertenza, che all'incontro si è havuta da Lei, di non dar loro corso¹⁸⁶. Li ritenga pure presso di se sino ad altra disposizione. Mentre io le auguro *etc.* Roma, 18 Dicembre 1706.

Di V.ra Signoria Ill.ma

Affettuosissimo *etc.*

(a-F[abrizio] card. Paulucci^a)

^{a-a}) *Autographum.*

¹⁸⁴ Cfr. N. 35.

¹⁸⁵ Constantinus Zieliński, Chrysostomus Gniński, Andreas Załuski, cfr. N. 14.

¹⁸⁶ Cfr. N. 37.

N. 83.

Iulius Piazza
card. Fabricio Paulucci

Opaviae, 20 XII 1706.

Pro epistulis, 27 XI ad se datis (cfr. N. 42-44), gratias agit et muneris sui officia diligenter et accurate explere pollicetur.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 724r.

Min.: AV, Nunz.Pol. 132A f. 8r.

N. 84.

Iulius Piazza
card. Fabricio Paulucci

Opaviae, 20 XII 1706.

Nuntiat baronem a Schenck se per litteras certiozem fecisse de sua proxime futura in Urbem missione atque rogasse, ut cardinalis operam suam apud papam interponere vellet, ne ante ipsius Romam adventum in negotio Polono aliquid agendum suscipiat.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 726r-v.

Min.: AV, Nunz.Pol. 132A f. 7v-8r.

Eminentissimo etc.

Havendomi con sua lettera partecipato il Sig. Barone di Schenck, Gentiluomo della Camera di Sua Maestà, che deve quanto prima porsi in viaggio verso cotesta volta, mi ha anche richiesto di supplicare V.ra Eminenza d'interporre il suo credito, onde N.ro Signore si degni sospendere ogni giudizio su gl'affari correnti di Polonia sino al di lui arrivo. E benché a me sia ignoto quale possa essere la di lui commissione, tuttavia, se nel passaggio che farà per questa città, dove sarà a veder[726v]mi, potrò da esso ricavare qualche cosa di più positivo, non mancarò di renderne umilissimo conto all' Eminenza V.ra, che intanto ardisco prevenire colla presente notizia, onde non le giunga nuovo l'arrivo costì del sudetto Sig. Barone, che parmi però tra

me, non sia a tutti noto questo suo viaggio. E faccio *etc.* Troppau, 20 Dicembre 1706.

Di V.ra Eminenza

^{(a-} Umilissimo *etc.*

Giulio, Arcivescovo di Nazaret^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 85.

Iulius Piazza
card. Fabricio Paulucci

Opaviae, 20 XII 1706.

Mittit exemplar litterarum primatis regni Poloniae, de praesenti rerum Polonicarum statu ad imperatorem datarum. Rogat, ut contenta eiusmodi litterarum tacita teneat, cum hoc fuerit desiderium illius, qui eas sibi confidenter tradidit.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 731r.

Min.: AV, Nunz.Pol. 132A f. 7v.

Eminentissimo *etc.*

Ho l'onore di rimettere qui annessa all'Eminenza V.ra la copia della lettera scritta da Mons. Arcivescovo di Gnesna all'Imperatore¹⁸⁷ su le correnti emergenze di Polonia; ma sicome la persona che me la ha confidentemente comunicata, bramarebbe che non fosse noto il contenuto di essa, così mi permetta l'Eminenza V.ra di supplicarla a farmi godere anche in questa occasione le beneficentissime sue grazie, onde la sudetta persona sia contenta della confidenza meco usata. E faccio *etc.* Troppau, 20 Dicembre 1706.

Di V.ra Eminenza

^{(a-} Umilissimo *etc.*

Giulio, Arcivescovo di Nazaret^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

¹⁸⁷ Exemplar litterarum aepi Gnesnensis ad imperatorem Iosephum I, 14 XII 1706 datarum, servatur in AV, Nunz.Pol. 131 f. 734r-735r.

N. 86.

Iulius Piazza
card. Fabricio Paulucci

Opaviae, 20 XII 1706.

Significat epistulas Cracovia allatas nuntium de pace inter reges Poloniae et Suetiae inita confirmare. Moscovitas hanc rerum in Polonia mutationem aegre ferre; fautores Augusti novam regis electionem cogitare; Stanislaum Leszczyński dignitates palatini Cracoviensis, vicecancellarii regni, referendarii et episcopi Cracoviensis (de qua re legatum suum Romam miserit) novis hominibus contulisse. Ad obsistendum eiusmodi consiliis etiam Augustum oratorem suum, baronem de Schenck, in Urbem mittere. Palatinum Posnaniensem senatus consilium tenuisse, in quo de damnis reipublicae resarciendis tractatum sit atque decretum, ut legati ad principes Sobieski et regem Suetiae mitterentur. Cardinalem Saxoniae de suo Cracovia discessu cogitare deque regis illuc reditu dubitare, quamquam sint qui aliud affirmant, quod commissariis Saxonis occasionem obtulerit in palatinatu Cracoviensi tributa exigendi. Annectit litteras archiepiscopi Cracoviensis ad se datas. Nuntiat praeterea Varsaviae non esse publicatum tractatum pacis, quamvis palatinus Posnaniensis id fieri iusserit; dicitur exercituum regni capitaneus sub imperio suo habere 2000 Polonorum regi Augusto fidelium, qui parati sint novae electionis fautoribus se adiungere.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 728-730r.

Eminentissimo etc.

Le lettere di Cracovia, giuntemi doppo sigillato il piego, perloch  ho fatto trattenere il corriere, mi obligano di partecipare umilmente all'Eminenza V.ra sempre pi  sicura credersi ivi la pace seguita tra il Re di Polonia e Suetzia, e gi  molti deplorano le nuove miserie, alle quali sar  sottoposto quel Regno e con esso la nostra Santa Religione.

I Moscoviti lo minacciano e si teme il loro sdegno, tanto pi  che sembra vogliano quelli, i quali hanno seguitato il Re, fare una nuova elezione e mantenerla a tutta forza. All'incontro, il Palatino di Posnania ha conferite ad altri le cariche di Palatino di Cracovia¹⁸⁸, di Vicecancelliere e Refe[728v]ren-

¹⁸⁸ Franciscus Lanckoroński (ca. 1645-1715), capitaneus Stobnicensis.

dario secolare del Regno¹⁸⁹, con havere anche nominato al Vescovado di Cracovia Mons. Vescovo di Culma¹⁹⁰; e che sopraciò ed altre cose sia stato costì spedito un espresso, per opporsi al quale doveva partire di Cracovia uno a nome del Re, e sarà il Barone di Schenck, nominato nel mio dispaccio¹⁹¹; e questa sarà la sua commissione, per la quale non si è voluto spiegare nella sua lettera.

Il Palatino di Posnania ha tenuto un Senatus Consilio, in cui è stato esaminato come si dovrà provvedere all'indennità della Republica, in che forma havrà a palesarsi la riconoscenza al Re di Svezia e come dovranno essere ricevuti i Principi Sobieski, che si dice già posti in libertà. Doppo la resolutione [729r] degl'articoli sudetti furono inviati alcuni deputati al Re di Svezia per ringraziarlo di ciò che ha operato in difesa del Regno e furono nominati alcuni Signori per andare ad incontrare e ricevere i menzionati Principi.

Il Sig. Cardinale di Sassonia si trova ancora in Cracovia per attendervi il Re, come si è degnato scrivermi, ma soggiunge tuttavia che ne voleva partire quanto prima, figurandosi con altri che Sua Maestà non sia per ritornarvi, conforme vogliono assicurarlo le lettere di colà, le quali portano inoltre esservi sparsa la voce del ritorno, onde i Commissarii Sassoni possino più facilmente esiggere le contribuzioni, per le quali è stato tassato quel Palatino; doppo di che svanirà infallibil[729v]mente tal voce.

Unisco a questa, colla lettera che scrive a N.ro Signore Mons. Arcivescovo di Gnesna, quella che a me ha egli diretta, nella quale si degnarà l'Eminenza V.ra riconoscere i sentimenti del Prelato nelle presenti scabrose congiunture, le quali non danno occasione di augurare nulla di buono¹⁹².

In Varsavia non è stata publicata la pace, come haveva ordinato con sue lettere il Palatino di Posnania, e sentesi che il Generale della Corona¹⁹³ habbia comandato alle truppe di tenersi pronte a marchiare ovunque sarà di bisogno, e 2000 Polacchi che sono nei contorni di quella Città, stati sempre fedeli al Re, sembrano risoluti di unirsi a quelli [730r] che formaranno il partito contro il Palatino di Posnania, per una nuova elezione. E faccio *etc.* Troppaw, 20 Dicembre 1706, a quattro hore doppo mezzo dì.

Di V.ra Eminenza

(^a-Umilissimo *etc.*)

Giulio, Arcivescovo di Nazaret^a)

^{a-a}) *Autographum.*

¹⁸⁹ Nomina eorum, quamvis sedulo et diligenter quaesiverim, certo statuere non potui.

¹⁹⁰ Theodorus Potocki (1664-1738), episcopus Culmensis 1699-1712, postea episcopus Varmiensis (1711) et deinde aepus Gnesnensis (ab a. 1723).

¹⁹¹ Cfr. N. 84.

¹⁹² Epistula de 24 XI 1706 servatur in AV, F. Albani 196 f. 29r-30v.

¹⁹³ Adamus Sieniawski.

N. 87.

"Avviso"
a Iulio Piazza
ad Secretariatum Status transmissum

Opaviae, 20 XII 1706.

Lipsia afferunt exsecutionem tractatus pacis usque ad regis Augusti in Saxoniam adventum (qui paucis diebus ante dissimulato nomine prope Vratislaviam fuerit) dilatam esse; propterea et Polonos illinc nondum discedere, progressum rerum omnium expectantes. Vratislavia significatum est de necessitate belli Moscovitis celeriter indicendi; dicitur episcopus Cuiaviensis in Russiam profectus esse, ut imperatorem Moscorum et Polonos exercituum capitaneos conveniret eo forsitan consilio, ut vires adversariorum palatini Posnaniensis roboraret.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 736r-v (annexum ad fasciculum epistularum N. 82-85).

Min.: AV, Nunz.Pol. 132A f. 134v.

Troppaw, 20 Decembre 1706.

Scrivono di Lipsia che sino all'arrivo in Sassonia del Re di Polonia che è passato, come ne corre la voce, i giorni scorsi incognito nelle vicinanze di Vratislavia, resti differita l'esecuzione del trattato, e perciò anche i Polacchi che sono ivi non partono, poiché vorrebbero vedere il tutto adempito, e su questo motivo ancora fare che le potenze straniere non vogliano riconoscere il Palatino di Posnania, se non lo vedono in pacifico possesso. E' ciò che farà la Republica in questa congiuntura, non volendosi esporre a dover' ogn'anno vedere un nuovo Re in quel Regno. Ma sin ora non si sa quali siino i sentimenti della Republica su tal particolare, poiché quando sussista il trattato in tutte le sue parti, non [736v] vorrà forse quella ricevere dalle mani altrui un Re contro i suoi diritti antichi di sceglierlo a suo piacimento.

Si ha di Vratislavia che tenendosi ivi per sicura la pace conchiusa tra i Re di Polonia e Svezia, si parlava ancora che doveva essere quanto prima dichiarata la guerra contro i Moscoviti, ma non si dice chi avrà parte in essa.

Si ode che Mons. Vescovo di Cuiavia¹⁹⁴ sia andato in Russia, credesi^{a)} per abbocarsi con il Czar ed i Generali della Corona, e forse procurare un

¹⁹⁴ Constantinus Szaniawski.

"Avviso"
a Iulio Piazza
ad Secretariatum Status transmissum

Opaviae, 20 XII 1706.

Cracovia scribunt cardinalem Saxoniae sine mora illinc discessurum et Viennam profecturum esse, regis Augusti reditu non amplius exspectato. Aulam regiam et regni vicecancellarium Cracoviae adesse. Primores palatinatus Cracoviensis eundem vicecancellarium frustra rogasse, ut deminutionem tributorum a commissario Saxonico exigendorum impetraret. Confoederationis Sandomiriensis marscalcus, Stanislaus Denhoff, etiam Cracoviam venit, ubi aperte dicitur de pace inter reges Poloniae et Suetiae constituta; cui rei tamen non omnes fidem praebent, eo vel magis, quod huiusmodi pacificatio Berolini ab electore Brandenburgensi non est publicata. Pro certo affirmant Adamum Śmigielski e custodia regis Augusti liberasse palatinum Kioviensem cum uxore et filiis, qui in Moscoviam mitti debere dicuntur. Varsavia afferunt commissarium Saxonicum trans Vistulam contributiones exigere. Idem facere copias Moscoviticas, in Volinia stationem habentes, quo Sueticus exercituum praefectus, Löwenhaupt, advenerit, ut Moscovitas Leopolim et Zamostiam oppugnantes aggrediretur et obsessis in auxilium veniret. Lipsia scribunt regem Suetiae, facta lustratione copiarum suarum, omnibus militum tribunis iussisse, ut cum legionibus suis praesto essent et iussa sua exspectarent.

Or.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 737r-v.

Min.: AV, Nunz.Pol. 132A f. 175v-176r.

Troppaw, 20 Decembre 1706.

Si trovava ancora li 16 del corrente il Sig. Cardinale di Sassonia in Cracovia, di dove scrivono che dovesse partire senza maggior dilazione alla volta di Vienna, benché si fosse sparsa voce che vi si sarebbe trattenuto più lungo tempo per attendervi il ritorno di Sua Maestà.

Era giunta in quella Città col Sig. Vicecancelliere della Corona¹⁹⁶ tutta la Corte Regia, che ha preso l'alloggio appresso quella cittadinanza. I Principali del Palatinato di Cracovia erano stati appresso il Sig. Cancelliere suddetto per far istanza di procurare qualche sollievo a quei popoli dalle contribuzioni, che esigge il Commissariato Sassone; ma sentesi che si fosse scusato di porre le mani in questo affare.

¹⁹⁶ Ioannes Szembek.

Il Conte Denhoff, Gran Maresciallo Della Confederazione Generale di Sandomiria¹⁹⁷, era altresì arrivato in Cracovia, dove si parlava apertamente della pace seguita tra sua Maestà ed il Re di Svezia, ma tuttavia non vi si prestava intiera fede, tanto più che non era stata publicata in Berlino dall'Elettore di Brandeburgo¹⁹⁸, il quale, conforme si scrive su il dubbio di essa, non haveva voluto spedire alcun'inviato al Palatino di Posnania, come haveva antecedentemente determinato.

Si conferma che il Sig. Smigielski avesse con trecento Polacchi levato dalle mani delle Guardie Regie il Palatino di Chiovia colla [737v] moglie e figli, come anche il Prefetto della Cucina del Regno¹⁹⁹. E dicesi che saranno tutti inviati in Moscovia.

Scrivono di Varsavia che il Commissariato Sassone esige le contribuzioni di là dalla Vistola; e colle lettere di Wilna si era saputo che il Generale Suedese Lewenhaupt era partito di colà colle sue truppe per attaccare i Moscoviti che si trovano in Volinia, dove prendono delle contribuzioni esorbitanti e pretendono entrare in Leopoli, di dove però sono sin'ora stati esclusi, come è seguito al Generale Moscovita Baur con tre milla de suoi dalla fortezza di Zamoscia.

Avvisano di Lipsia che il Re di Svezia, doppo haver fatta la revista del suo Reggimento di Guardie²⁰⁰, haveva dato ordine a tutti i Colonelli di ritrovarsi appresso i loro Reggimenti, di modo che pareva da tali disposizioni che pensasse di passare altrove colla sua armata.

Continuano intanto i di lui Commissarii a riscuotere rigorosamente le contribuzioni; ed il Magistrato di Lipsia haveva presa ad interesse qualche somma di denaro fuori dello stato per sovvenire in questa forma all'indigenza di molti di quei habitanti, i quali non erano in stato di pagare ciò a che erano stati tassati.

N. 89.

Iulius Piazza
Ioanni Szembek, vicecancellario Regni

Opaviae, 22 XII 1706.

Pro litteris, 17 XII datis, gratias agit. Nuntiat se non esse praetermissurum, quominus litterae notis secretioribus scribendae, ab eo expostulatae, conficiantur et per viam tutam ac securam mittantur. Se vehementer dolere scribit, quod mutua eorum conversatio tot cautiones requirat, cum post Augusti victo-

¹⁹⁷ Stanislaus Denhoff.

¹⁹⁸ Fridericus III Hohenzollern.

¹⁹⁹ De palatino Kioviensi, Iosepho Potocki, et coquinae regiae praefecto, Stanislaio Tarlo, comprehensis et in custodiam coniectis, vide N.74.

²⁰⁰ Cfr. N.74.

riam de Suecis reportatam obsequia sua ei ipsi et regi coram deferre cupiat. Adventum baronis a Schenck se summo studio exspectare significat, ut ab eo de rebus omnibus certior fiat. Se exoptare et cupere, ut idem baro iam in itinere Romam sit et summum pontificem, cuius iussa se ipsum avidè exspectare affirmat, de omnibus recte edoceat.

Autogr.: Kraków, B.Cz., ms 450 IV p. 761-762.

Illustrissimo etc.

Ho le più sensibili obbligazioni all'Eccellenza V.ra per tutto ciò che si è degnata scrivermi coll'umanissimo suo foglio delli 17 del corrente²⁰¹, e desiderarei che cotesti affari havessero un corso migliore di quello hora fanno sperare. Non mancarò di formare la cifra bramata, e quando V.ra Eccellenza non habbia o trovi qualche sicura strada perché le giunga senza alcun pericolo, io la cercherà a fine che ella ne sia servita quanto prima. Dispiacemi però sommamente, che il nostro commercio habbia ad esiggere tali precauzioni, poiché mi sono lusingato altrimenti, doppo la vittoria riportata ultimamente da Sua Maestà²⁰², per la sodisfattione che havrei risentita, di rendere a V.ra Eccellenza in persona i miei rispetti, e per l'onore che mi risultava nello stesso tempo d'inchinare il Re.

Attenderò con impatienza il Sig. Barone di Schenck per havere da esso le notizie giuste di cotesti affari, e vorrei che già fosse in camino e volasse a Roma, (^a-porto destinato^a), per informarne [762] Sua Santità, dalla quale aspetto con impatiente desiderio gl'ordini intorno a coteste mai attese peripezie. Intanto supplico l'Eccellenza V.ra di credermi altrettanto ossequioso verso il sommo suo merito, quanto ambisco di darlene prove convincenti coll'ubbidirla. E resto baciandole riverentemente le mani. Troppaw, 22 Dicembre 1706.

Di V.ra Eccellenza

Devotissimo etc.

G[iulio] Arcivescovo di Nazaret

^{a-a)} *Adscriptum eadem manu supra.*

²⁰¹ Cfr. N. 31.

²⁰² Sermo est de victoria a copiis Augusti II de Suecis 29 X 1706 ad Calissiam reportata.

N. 90.

Iulius Piazza**Ioanni Lukini, primicerio Vislicensi**

Opaviae, 24 XII 1706.

Dignitatem protonotarii apostolici et facultatem ferendi "rocchetum et mantolettam ac vestem nigri vel violacei coloris" auctoritate sibi concessa in eum confert.

Reg.: AV, Arch.Nunz.Vars. 182 f. 2v-3v. In f. 2v in margine adscriptum: "non fuit extraditum. Prothonotariatus Apostolicus".

Iulius Piazza etc. dilecto Nobis in Christo Illustri ac Admodum Rev.do Domino Ioanni Lukini, Primicerio Vislicensi, Praeposito Sławkowski²⁰³ etc., salutem in Domino sempiternam. Literarum scientia, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, [3r] quibus te ornatum novimus, Nos inducunt, ut Personam tuam dignioris nominis titulo decoremus. Nos igitur, quibus Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XI uti Nuncio Apostolico et Sacello Pontificio aliisque pontificalibus functionibus assistenti, inter caetera nonnullos viros ecclesiasticos virtute et meritis praeclaros in Sedis Apostolicae Notarios, Prothonotarios nuncupatos, creandi facultatem concessit, prout in literis apostolicis in forma brevis expeditis plenius continetur²⁰⁴, te, qui, ut asseris, Romani Pontificis et Apostolicae Sedis obsequiis promptus insistere intendis, gratioso favore prosequi et personam tuam insigniori titulo decorare volentes, in praedicti Sanctissimi Domini Nostri et S. Sedis Apostolicae Notarium, Prothonotarium nuncupatum, auctoritate Nobis concessa, tenore praesentium recipimus, admittimus, creamus ac aliorum S. Sedis Notariorum, Prothonotariorum nuncupatorum, numero et consortio favorabiliter aggregamus; tibi, ut rocchetum et mantolettam ac vestem nigri vel violacei coloris, non tamen in Romana Curia, deferre, nec non pileo, quo alii Prothonotarii utuntur, non tamen violacei coloris, in tuis insigniis et stemmatibus uti ac, etiamsi habitum et rocchetum non deferas, nihilominus omnibus et singulis honoribus, praeeminentis, indultis, favoribus, gratiis, privilegiis, exemptionibus et praerogativis, quibus eiusdem S. Sedis Notarii, Prothonotarii nuncupati, tam de iure, quam de consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, absque tamen aliorum eiusdem S. Sedis Notariorum, Prothonotariorum de numero participantium nuncupatorum praeiudicio et citra exemptiones a Sacro Concilio

²⁰³ Ioannes Luchini (†1750), iurisperitus, rector Academiae Cracoviensis.

²⁰⁴ Cfr. N. 6.

Tridentino sublatas et facultates legitimandi, ad gradus promovendi ac notarios creandi, aliaque similia privilegia eisdem Notariis, Prothonotariis de numero participantium nuncupatis, concessa, seu ab eis praetensa, quibus nullibi uti valeas, et si secus a te fieri contingat irritum et inane existat, uti, potiri et gaudere possis et valeas, auctoritate Apostolica, Nobis, ut praefertur, concessa, tenore earundem praesentium licentiam et facultatem libenter concedimus et indulgemus; ac insuper personam tuam tali praerogativa Prothonotariatus, ut supra, insignitam esse, dignitatem ecclesiasticam, causasque seu lites beneficiales ecclesiasticas, meras et mixtas, per literas apostolicas, seu alio quovis modo, tibi committi vel delegari posse, seu debere.

Tu igitur de bono in melius virtutum studiis intendas, ut in eiusdem S. Sedis conspectu ad maiora te semper exhibeas meritorum cumulis digniorem, itaque proinde ad faciendam tibi uberiorem gratiam et honorem merito arctius incitetur. Monemus autem, ut antequam praesentis gratiae fruaris effectum, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, a te eligendae, fidei professionem, iuxta articulos ab Apostolica Sede propositos, emittere et fidelitatis debitae solitum iuramentum praestare omnino tenearis. In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus et sigillo nostro communiri iussimus. Datum Opaviae [3v] in Silesia, die vigesima quarta mensis Decembris, Anno Domini millesimo septingentesimo sexto.

(Locus + Sigilli)

I[ulius] Archiepiscopus Nazarenus
Nuntius Apostolicus
Io[annes] Carolus de Vannis
Auditor Generalis
Adalbertus Skwarczyński
Cancellarius

N. 91.

Iulius Piazza
card. Fabricio Paulucci

Opaviae, 27 XII 1706.

Pro litteris, 4 XII datis, (cfr. N. 53), ad gratiarum actionem pro benevolentia sibi exhibita se incitantibus, gratias agit.